



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXXVIII. Num Angeli sint incorporei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Post hæc considerandum est de distinctione corporalis, & spiritualis creaturæ. Et primo de creatura purè spirituali, quæ in Scriptura sacra Angelus nominatur. Secundo, de creatura purè corporali. Tertio, de creatura composita ex corporali & spirituali, quæ est homo.

Circa vero Angelos considerandū est primo de ijs, quæ pertinent ad eorū substantiā. Secundo de his quæ pertinent ad eorū intellectū. Tertio, de ijs, quæ pertinent ad eorū voluntatem. Quarto de ijs, quæ pertinent ad eorū creationem. De substantia autem eorum considerandum est absolute, & per comparisonem ad corporalia. Circa substantiam vero eorum absolute quinque quaruntur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angelus sit omnino incorporeus.

261.
2. cor. c. 4. b.
c. 50. c. 4. b.
9. b. m. 1. b.
corp. c. 3. p.
ar. 5. c. 4. b.
2. c. 74. c.
opu. 15. c. 1.
L. 2. or. 1. b. d.
fidei c. 3. m. 1.
long. a. p. r.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Angelus non sit omnino incorporeus. Illud enim quod est incorporeum solum quoad nos, non quoad Deū, non est incorporeum simpliciter. Damasc. dicit in lib. 2. quod Angelus incorporeus & immaterialis dicitur quantum ad nos: sed comparatus ad Deum corporeus, & materialis inuenitur. Non ergo est incorporeus simpliciter.

2. Præterea. Nihil mouetur nisi corpus, vt probatur in 6. Phys. Sed Damasc. dicit ibidem quod Angelus est substantia intellectualis semper mobilis. Angelus ergo est substantia corporea.

3. Præterea. Ambros. dicit in lib. de Spiritu sancto, omnis creatura certis suis naturæ circumscripta est limitibus. Circumscribi autem proprium est corporū. Ergo omnis creatura est corporea: Angeli autem sunt Dei creaturæ, vt patet in Ps. 148. Laudate Dominum omnes Angeli eius. Er postea subditur: Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mādauit & creata sunt. Ergo Angeli sunt corporei.

Sed contra est, quod dicitur in Ps. 103. Qui facit Angelos suos spiritus.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim quod præcipue in rebus creatis Deus intendit, est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum. Perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum. Deus autem creaturā pro-

ducit per intellectum & voluntatem, vt supra ostensum est. Vnde ad perfectionem vniuersi requiritur, quod sint aliquæ creaturæ intellectuales. Intelligere autem non potest esse actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, quia omne corpus determinatur ad hoc, & nunc. Vnde necesse est ponere ad hoc, quod vniuersum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura. Antiqui autem ignorantes vim intelligendi, & non distinguentes inter sensum, & intellectum nihil esse existimauerunt in mundo, nisi, quod sensu & imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginatione non cadit, nisi corpus, existimauerunt, quod nullum ens esset nisi corpus, vt Philo. phus dicit in 4. Phys. Et ex his procedit Saducæorum error, dicentium non esse spiritum. Sed hoc ipsum quod intellectus est altior sensu rationabiliter ostendit, se aliquas res incorporeas à solo intellectu comprehensibiles.

Ad primum ergo dicendum, quod substantiæ incorporeæ medium sunt inter Deum & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad vnum extremum, videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum, & hac ratione dicitur, quod angelus Deo comparati, sunt materiales corporei, non quod in eis sit aliquod de natura corporea.

Ad secundum dicendum, quod motus ibi accipitur prout intelligere, & velle motus quidam dicuntur. Dicitur ergo Angelus substantia semper mobilis, quia semper est actu intelligens, non quandoque actu, & quandoque potest, sicut nos. Vnde patet quod ratio procedit ex æquiuoco.

Ad tertium dicendum, quod circumscribi terminis localibus est proprium corporum, sed circumscribi terminis essentialibus, est commune cuiuslibet creature, tam corporali, quam spirituali. Vnde dicit Ambros. in lib. de Spiritu sancto, quod licet quædā locis corporalibus non contineantur, circumscriptione tamen substantiæ non carent.

Conclusio articuli est affirmans. In cuius confirmationem seq. disp. aliqua dicemus.

DISPUTATIO CLXXVIII.

Num Angeli sunt incorporei.

Præter creaturas visibiles esse aliquas à sensibili materia abstractas, quam communiter Angelum vocamus.

cap. 1.

Qui senserint Angelos esse corporeos. c. 2.
Verior sententia auctoritate probatur. s. 3.
Eadem opinio Scriptura. & ratione ostenditur. s. 4.
Diluuntur fundamenta prioris sententiæ. s. 5.

CAP. I.

Præter creaturæ visibiles esse aliquem & sensibilibus materiæ abstractam, quam communiter Angelum vocamus.

Nomen Angelus Græcè ἄγγελος, Angelos, teste Hilario lib. 5. de Trinit. fol. 3. & Isidor. lib. 1. sententiarum cap. 12. sententia prima, non est nomen naturæ, sed officij: idem enim est ἄγγελος, Angelos, quod Latine, nuntius, ut tradit August. in Psal. 103. explicans illa verba, Qui facis Angelos tuos spiritus. Convenit Dionys. qui 4. cap. de celesti hierarchia, satis ante medium, inquit, Angelos sic appellari, propterea quod eis primo in se divina illustratio; ac per eos ad nos veniat. Hoc autem Angelorum ministerium expressit Paulus ad Hebræos 1. Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi. Idcirco sacerdotes etiam dicti sunt Angeli, quasi nuntij inter Deum, & nos. Latria sacerdotum custodiunt scientiam, quoniam Angelus domini exercitum est. Et Ioan. Bapt. eadem ratione Matth. 22. dictus est à Christo Angelus Domini iuxta illud Malach. 3. Ecce ego mitto Angelum meum ante te, nam, ut ait, Tertull. lib. aduersus Iudeos cap. 9. post medium: Deus eos vocare consuevit Angelos quos virtutis sue ministros præfecit. Quin imo ipse Christus Elia 9. vocatus est magis consilij Angelus, ut notauit idem Tertull. lib. de carne Christi cap. 14. Officij non naturæ vocabulo. Id vero magis explicat Dionys. 4. c. de celesti hierarch. in fin. quia videlicet, ut ipse Christus dixit Ioan. 15. omnia quæ à patre audiuit, nobis annuntiavit. Scriptores tamen Ecclesiastici, nomine Angelus, naturam ipsam spirituales præter animam rationalem intelligunt. In quam significationem Act. etiam 29. eodem nomine utitur Scriptura. At Aristot. & Pet. Angelos vocant substantias separatas. Platonici vero bonos Angelos demones: malos autem cædæmones, id est, malos demones appellant, & hæc de nominis significatione.

Esse autem huiusmodi substantias separatas, negant Saducæi, ut refert Lucas Act. 23. Negabant enim; neque esse Angelum, neque spiritum; & ideo resurrectionem quoque negabant. Qui fuit error quorundam Philosophorum, teste Aristot. lib. 4. physic. tex. 52. & 57. De fide tamen est, Angelos esse superiores substantias, quam homines; tametsi de natura illorum non sit res adeo manifestata. Sic in Psal. 8. Ministri eum paulo minus ab Angelis, & alibi sæpius. Et apud antiquos Ecclesiæ patres res est extra controversiam. Philosophi quoque has substantias concesserunt, ut tradit Cyprian. in lib. de van. idol. sic Aristot. 12. Metaph. cap. 6. 7. & 8. Quas æternas immotas & sine magnitudine esse dixit. Idem etiam lib. 1. de celo. cap. 9. plures alias intelligentias præter motrices orbium esse docet, ut videbimus disput. 18. cap. 1. & alij etiam, quos paulo post referemus. Probata B. Tho. 2. cont. gent. cap. 46. multis rationibus physicis, quæ mea quidem sententia rem congrue suadent, quamvis non plane demonstrent. Hæc vero sola ratione ab experimento desumpta efficaciter potest ostendi. Nam multa quotidie videmus fieri ab arpepritijs, super ipsorum vires: ergo cogimur concedere, ab aliqua superiori substantia ad illa omnia eos moueri; non proximè ab ipso Deo: frustra enim recurreremus ad primam omnium causam, si ministerio alterius id non repugnat fieri: præsertim cum videamus arpepritos, & medicamentis, &

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

musica, saltem per aliquod temporis intervallum interdum sanari: non certè alia de causa, nisi quia dæmon eos torquere nequit, nisi prauos humores eorum concitâdo, quibus si non viceretur, nec eos vexare posset, nec multa mira in eis operari; at si Deus proximè illa faceret, non egeret humoribus corporum; ac profunde, nec medicina, nec alio corporeo remedio eius effectus impediretur. Sed idem efficacius ostenditur adhuc ex operibus Magorum & incantatorum: nam quæ ab ipsis fieri audiuius, paruis quibuldam rebus admotis, verbis quoque prolatis, vim omnem verborum, & corporeæ cuiusvis substantiæ manifestè superant. Hæc ratione utitur Lactant. lib. 1. diu. inst. cap. 15. quæ qui-
dem res hæc nostra tempestate in Gallia & Anglia plurimos ab Atheismo renouit, quo antea cum Saducæis credebant, nihil esse præter corporeæ.

Sed quamvis Aristot. præter intelligentias orbium motrices, alias quoque esse doceat: demones tamen qui sunt mali Angeli, nullibi concedere videtur. Imo in sect. 30. problem. q. 1. in medio loquens de ijs, qui diuino spiraculo instigati dicuntur, aut spiritum lymphaticum infernescunt, asserit ex naturali imperie id accidere. At Plato in pol. Tyranni, & in Sympos. Xenocr. in lib. de morte, Mercur. Trismeg. in Pimandrio, malos Angelos cognouerunt. Et quamvis sola fide nobis constet, quæ ratione demones fuerint effecti mali; ex operibus tamen eorum quæ à nobis nullo modo fieri possunt, quæ praua sint, facile coniecere possumus aliquos etiam malos esse.

CAP. II.

Qui senserint Angelos esse corporeos.

Angelos esse corporeos, hoc est, essentiam eorum corpore constare, docuerunt non solum antiquiores Patres, quod apud eos res adhuc esset satis obscura; verum etiam patris ante annis, cum iam extra controversiam esse videtur; existimant Caiet. in 2. Epist. ad Eph. & August. Catech. Eugubinus lib. 8. de perenni Philosophia cap. 17. qui cum de dæmonibus id asserat, idem quoque de bonis Angelis affirmare debet. Quæ de causa cap. 30. putat, eos nidioribus sacrificiorum delectari, habitare in locis humectis & similia. Quinimo Rupertus Abbas his duobus multo antiquior, & gratior idem asseruit lib. 2. de Trinit. cap. 11. ex patribus vero tam Græcis, quam Latinis permulti, Origen. lib. 1. Periarchon in proximo circa finem, ubi notat, Angelos quidem aliquando dici incorporeos propter corporis subtilitatem, quia sit eorum corpus veluti aura. Quare nihil obstat, quod docuit lib. 5. contra Celsum, paulo ante finem, corporeas scilicet lachrymas Angelis non esse; neque quod in lib. Periarchon cap. 7. Angelos appellat virtutes incorporeas: nam eodem etiam lib. cap. 6. in fine docuerat, proprium esse Dei, sine corpore subsistere. Illa vero duo verè dici possent, si corpora Angelorum subtilia essent, ut explicatum est. In eadem sententia fuisse Casarius frater Naz. Nazianzen. in primo Dialogo, pag. 1467. Qui habetur secundo tomo Nazianzen. Elias Cretensis in primam Orat. Nazianz. explicans illa verba, Nihil enim mihi, &c. Et Ioannes Episcopus Thessalonicensis, Ioannes, cuius testimonium refertur in 7. Synodo actione 5. non longe à principio: Ex eo enim probatur, Angelos posse depingi, quia corporei sunt: cuius sententiæ annuisse videtur tota Synodus. Respondit enim, Etiam Domine, imo in suam sen-

Mm 2 sententiam

Tertul.

tentiam allegabat ille Athanasius & Basilium, & Methodium. Ex Latinis idipsum docuerunt Tertullianus lib. 2. contra Marc. cap. 8. ubi ait, ex materiali spiritu Angelos constituisse. Cum vero lib. de carne Christi cap. 6. inquit proprium esse Angelicæ potestatis, ex nulla materia corpus sibi sumere: intelligit ex materia nostra visibili & crassa; proxime enim dixerat: Constat Angelos carnem non propriam gestasse, ut patet natura substantiæ spiritualis, & si corporis alicuius, sui tamen generis. Quibus verbis concedit, Angelos prædictos esse corpore, sed sui generis, hoc est subtili admodum & spirituali.

Hilar.

August.

Eandem sententiam tradit Hilarius can. 5. in Matthæum cum ait, nihil creatum esse, quod in substantia sua corporeum non sit. Augustinus 3. de Genesi ad lit. cap. 10. Id videtur supponere. Sed aperte id sensit Epistolæ 111. & 115. lib. 3. de Trinitate cap. 11. in Psalm. 85. & 145. lib. 2. de Civitate Dei 23. & lib. 15. c. 23. Tamen Epistolæ 18. de anima rationali dicat, non esse corpoream, si corpus intelligatur, quod locum occupat: esse tamen corpoream, si corpus significet quancumque substantiam. Quare in Enchiridion. 59. propositæ difficultati, Vtrum Angeli habeant corpora tractabilia, an subtiliora, quæ tractari nequeant, Respondet; Quid enim opus est, ut hæc atque huiusmodi affirmant, vel negent, vel definiant cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur? Quo loco non dubitavit Augustinus, an Angeli essent corporei, sed anteorum corpora possent tractari. Idem docuit Cassianus colat. 7. cap. 13. Bernardus serm. 5. in Cantica, in eam sententiam inclinat, quamvis dubius ibi maneat: in lib. tamen 5. de consideratione corporis ætherei illis tribuit.

Lactant.

Tertul.

Ambros.

Irenæus.

Iosephus.

Justinus.

Clement.

Euseb. Cas.

Method.

Genes.

Eam quoque opinionem sequuntur, quotquot affirmant Angelos cum mulieribus coisse, & genuisse Gigantes. Ita senserunt Lactantius lib. 2. diuin. institut. cap. 19. sed 4. lib. c. 8. Angelos eo appellat spiritus, quod subtiliora corpora habeant. Sic etiam Tertullianus lib. de idololatria cap. 9. & de velandis virginibus cap. 7. & consentire videtur Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 4. Indicatque Irenæus lib. 3. cap. 70. quamvis lib. 3. cap. 23. plane doceat, Angelos sine carne esse. In eadem sententia sunt Iosephus in Apologia ad Senatorem Romanum parum à principio, & in Apologia ad Antonium Pium non longe à principio, Clemens Alexand. 3. & 5. lib. Stromat. Eusebius Casar. lib. 5. de preparat. Euangel. cap. 4. & Methodius in serm. de Resurrect. Atque in hunc sensum interpretatur illud Genes. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchre. Antiqua enim lectio, quam ipsi videntur sequuti, sic vertebat; Videntes autem Angeli Dei, filias hominum: Quam lectionem expressè habent Eusebius Ambrosius & Augustinus lib. quest. super Genesim. quest. 3. & 15. de Civitate cap. 23. Nec recte ferre videtur, quod in codicibus 70. quos nunc habemus non legitur: Angeli Dei, sed filij Dei. Nam filios Dei interpretari possumus, Angelos Dei, secundum communem etiam Scripturæ phrasin. Iob enim cap. 2. Angeli Dei, filij Dei non upantur. Dicitur enim; Cum quadam die venissent filij Dei, cap. 38. Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Sic vertit utrobique Hieronymus. ex Hebræo 70. vero transferant, Angeli Dei. Quare immerito Chrysostomus homil. 22. in Genesim putavit, nusquam in Scriptura Angelos filios Dei nominari. Neque enim obstat illud ad Hebræos 2. Cui dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te. Loquitur enim Paulus de filio per naturam & ostendit, nusquam

Angelum fuisse hoc modo filium nuncupatum. Hoc igitur testimonium Genes. 6. potest esse fundamentum huius opinionis. Deinde probatur et Bernardus serm. citat. quia intelligi non potest substantia aliqua loco corporeo moveri, nisi sit corporea: sed Angelus loco & intervallo corporeo mouetur; ergo est corporeus.

CAPVT III.

Verior sententia auctoritate probatur.

Opposita sententia, quæ dicit, Angelos esse incorporeos, non solum probabilior, sed etiam inter Patres & Scholasticos magis communis, & ab Ecclesia quasi definita videtur. Ex Scholasticis ita docuerunt omnes cum Magistro 12. & 13. finit. 8. & S. Thom. Caietan. & alij Thomistæ artic. ex Patribus vero Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus in princip. Nazianzenus Orat. 34. quæ est de Theologia, & alij dubius manet, si attente legatur, ut quidam falso examinauerunt. Athanasius de communi essentia patris & filij circa finem, definiens Angelum, & in eod. ad Theophilum quest. 19. & 98. Nec obstat, quod quædam dixerit, Angeli essentiam vram fuisse à B. Virgine in salutatione: id enim intelligit de acie, & oculo mentis quo spiritus etiam videri potest lumine aliquo deluper communicato. Idem docet Basil. in concione, Quod Deus non est auctor malorum, circa medium, ubi distinguit corpoream & spiritalem creaturam. Gregorius Nyssen lib. de orat. in illa verba, voluntas tua, ante medium commentari quid. Gregorius lib. 4. in Ioan. cap. 10. & locis infra citandis, Theodorus in illud Zachar. 1. Vidi nocte, & in eod. super Genesim 4. Chrysostomus homil. 22. in Genesim illa verba, & in eod. Chrysostomus in Orat. 38. Nazianzenus illa verba, & in eod. mirum sancta. Damascius lib. 1. de fide cap. 17. & lib. 2. cap. 3. Cum vero ait, Angelum dici in corporeo respectu nostri, esse tamen corporeum & materiam comparatione Dei: non ideo id dicit, quia putat, Angelum aliqua materia constare; sed, ut ostendat spiritum illum multo esse inferiorem spiritui Dei, & comparatione illius ne spiritus quidem videatur: alioquin non negasset Damascius locis cit. esse in loco corporeo cum dimensionibus, licet immaret, ipsum verè corporeum esse. Idem asseruit Gregorius lib. 3. dialog. c. 29. nec obstat, quod dicitur lib. 2. moral. c. 2. post medium, alia; Angelos loco circumferibi: intelligit enim circumferibi non quantitate, sed loco particulari definiti; quod locutus etiam est Damascius locis cit. ut dicitur c. 1. notauimus. Conuenit cum his omnibus & Chard. de S. Victore lib. 3. de Trinitate c. 25. cuius rationem sequenti cap. afferemus. Demum alij confirmant ex 6. Synod. generali action. 12. ubi dicitur Angeli intellectuales & inuisibiles, si eorum appellat Cyrillus in Prasat. de operibus Cardinalis Chrysostomus inde tamen nihil probari potest. Nam qui aliorum, Angelos esse corporeos, dicunt etiam esse inuisibiles, quod subtiliora quædam corpora habeant & intellectuales, sicut est homo, qui tamen corpore constat. Videtur quoque hæc veritas definita ab Ecclesia in Concil. Lateran. sub Innocentio 3. & refertur in cap. Firmiter, de sum. Trinitate & de fide Carol. ubi dicitur; Deus vramque de nobis condidit naturam spiritalem, & corporalem. Angelum videlicet & mundanum. Vbi plane Angelicam, cui opponit mundanum, appellat spiritalem: corporealem vero, quæ solo corpore constat, vocat mundanum; subdit statim, Deinde hominem, quædam

9. *minimem, ex spiritu & corpore constitutam.* Excusant nihilominus ab erroris nota oppositam sententiam Bart. Carranza in sum. Concil. & annot. ad 7. Synod. & Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sancte annot. 2. quod ad huc dubia res videatur apud Patres & mens Concilij directè non fuerit, definire, quanam esset corporea creatura, quæ vero spiritalis: sed Deū initio temporis omnia condidisse; vtatur autem magis cōmuni modō loquendi, cum vnam creaturam ab alia distinguit.

Cæterum quamuis hoc verum sit, nullus sine temeritatis nota iam posset oppositam sententiam defendere. Accedit auctoritas Aristot. 12. Meta. c. 6. 7. & 8. qui ex professo probat, intelligentias esse ab omni materia, & magnitudine separatas.

CAPVT III.

Eadem opinio Scriptura, & ratione ostenditur.

Scriptura quoque hæc sententia confirmari potest. Primum quia nusquam Angelos corporeos appellat: contra vero frequenter spiritus significat rem incorpoream, Ioan. 4. Spiritus est Deus, & Act. 23. refert Lucas, fuisse hæcūm Saduceorum, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum, id est, non esse rem aliquam incorpoream: ex quo inferebant; animam cum corpore interire. Et sane pro eodem reputat Lucas, negare spiritum atque negare Angelū: quamuis spiritus latius pateat, quam Angelus, quia animæ rationalis spiritus etiam est, Angelum vero in Scriptura allegari spiritum, ex multis patet: quidam probant ex illo Psal. 103. *Quis facit Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem ventem.* Sic enim interpretatur August. & Damasc. 2. de fid. cap. 3. Recentiores tamen cum Eugubino hoc modo, *Quis facit Angelos tuos veloces instar venti: & ministros tuos (eodem scilicet Angelos) ut fulgur,* ob eandem nimirum velocitatem: nam sicut non facit Angelos suos verum ignem, sed similitudine; sic non facit spiritus: quare spiritus eo loco non pro substantia separata à corpore, sed pro vento vulturpani, vt non dicatur eo loco Angeli spiritus, sed spiritui, id est, vento similes: sicut non dicitur ignis, sed ignis similitudo: alibi tamen in Scriptura Angeli boni aut mali dicuntur spiritus, ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in hereditatem misi,* Luc. 6. & alibi sæpe numero demones dicuntur immundi spiritus.

Ratione quoque hæc sententia suaderi potest. Omnia vero ea, quæ vtitur S. Tho. & late explicat Caietan. quæ congrue solum rem hanc ostendit, primo probatur ex summa motus velocitate, quæ dicuntur terram peragere & circuire, quæ non possent corpori conuenire. Secundò quia spiritus intrant in humana corpora & alia similia penetrant: corpus autem non potest corpore penetrari, dices intrare solum per poros: at hoc ridiculū est, tum quia non potuissent Angelus de cælo cadere, cum cæli poros non habeant: tum quia aut per vnum porum tantum ingrederetur idem Angelus, & ita esset minimæ quantitatis, atque adeo in genere corporis imperfectissimus, & minimæ efficacitatis aut per plures simul, & ita corpus Angelum in frustra diuideretur, vt partim per vnum porum, partim per alium ingrederetur: nam inter vnum porum, & alium est pars solida, quæ à corpore nequit penetrari. Tertiò probat Ricard. de S. Viç. nam si Angeli essent corporei, non posset

Vaxquez in 1. partem Tom. II.

legio eorū esse sine miraculo in vno corpore obfeso, vt narratur Luc. 8. legion. continet sex millia sexcenta sexaginta sex: at miraculū in hac concedere, vt corpora illa Angelorum se inuicem penetrarent, friuolum esset: ergo dicendum est, esse incorporeos: quoniam quantumuis eorum corpora subtilia essent, interuallum & spatium debere occupare: quare deberent esse minima quædam corpora, vt in tam paruo corpore vnus hominis tot millia esse possent. Mitto alias rationes quæ minoris momenti sunt, vt quod indigerent cibo, si essent corporei, haberent organa ad operationes vitæ, fatigaretur in mouendo corpus cæleste. Respondere enim aliquis facile posset, huiusmodi corpora esse subtilia alterius rationis, quam animalium; & ideo nec indigere cibo, nec instrumenta habere ad operationes vitæ, nec labore aliquo fatigari.

CAPVT V.

Diluantur fundamenta prioris sententia.

Sperest, vt argumenta prioris opinionis refellamus. Et primum quidem fatemur, Patres pro eadem sententia allegatos ita aperte docuisse: excipio Ambros. quem aliqui hoc modo conantur explicare, vt solum senserit, gigantes genitos fuisse ab Angelis non propria virtute, sed aliunde delato virili semine, quod naturaliter fieri posse non dubito. At vero si hoc modo liceret Ambros. interpretari, alios quoque omnes eodem pacto exponere deberemus. Alia vero faciliori via ipsum excusare possumus, cum enim ille solum vtatur verbis Scripturæ secundum lectionem illam antiquam LXX. eodem modo ipse, atque Scriptura videretur locutus: Scriptura autem etiam secundum lectionem illam LXX. facilem habet sensum vt statim videbimus, quem ipse etiam Ambros. explicasse videtur, vt infra patebit. Citatur etiam pro prioris sententia idem Ambros. lib. 1. de Virginib. *Nec mirum si pro vobis Angeli militent, quæ Angelorum moribus militatis, meretur eorum præsidium castitas Virginalis, quorum vitæ meretur: & quid pluribus exequar laudem castitatis, castitas enim Angelos fecit: qui enim eam seruauit, Angelus est: qui perdidit, diabolus.* Ibi tamen non loquitur de Angelo, & diabolo secundum naturam, sed secundum mores. Quare cum ait, esse Angelum, qui seruat castitatem, significat Angelo similem esse; contra vero qui eam non seruant, demoni assimilari; neque enim putauit Ambros. primum peccatum Angeli, quo factus est diabolus, fuisse libidine carnis; cum plane dicat in Psal. 118. & ser. 7. & Epist. 84. excidisse superbia.

Ad illud, quod adduximus ex 7. Synod. respon. deo, Ioannem illum cuius liber recitatus fuit, ita ea fuisse sententia: eam vero fuisse solum à tota Synodo receptam & approbatam, quatenus dicebat, Angelos posse depingi: tamen illius ratio id non probaret, vt latius ostendi in lib. 2. de adoratione, disput. 3. cap. 5. nec solum Sanctus ille eam rationem attulit, quia scilicet essent corporei, sed etiam, quia sub humana figura apparere dignati essent: quam diximus eo capite potissimum esse, ob quam etiam ipse Deus figurari potest. Vbi autem illam sententiam tradiderint Athanas. & Basiliius, quos pro se allegat ille Ioannes, ego hæcenus non inueni; quin imo pro opposita opinione ipsos iam allegauit.

Mm 3

Ad

Elucidatur
locus Ge-
nes. 14.

Ad illud Genes. 6. iuxta translationem LXX.
Respondeo multo melius trāsferri, *Filij Dei*, quam
Angeli Dei: in Hebræon. dicitur **בְּנֵי הָאֱלֹהִים**
Bene haeloim. Filios autem Dei intelligunt Pa-
tres fuisse filios Enos, qui, ut dicitur Genes. 4.
cepit inuocare nomen Domini. Ideoque omnes
ab eo originem trahentes filij Dei merito appel-
lati sunt: sicut Christiani modo dicuntur, qui
Christum inuocant, eorumque filij, qui in eadem
fide permanent. Hi ergo acceperunt sibi uxores
ex progenie Cain, quæ vocabantur filię hominū,
non filię Dei, quia imitātē mores parentum suo-
rum rebus terrenis erant addictæ, sicut earū pro-
genitores. Cum ergo hæ mulieres essent pulchræ,
homines ex progenie Enos acceperūt eas in vx-
ores & gigantes genuerunt. Sic interpretantur lo-
cum illum: primum ex ijs, qui asserunt Angelos
esse corporeos, *Casarius frater Nazianz. dialogo 1.*

14.

Casarius,
August.
Cassian.

pag. 1467. in 2. to. Nazianz. August. 15. de Ciuitate Dei,
cap. 23. Cassian. collat. 8. cap. 21. Hi enim ita subtile
corpus Angelis tribuerunt, ut ad generationem
aptum non esset. Deinde ex alijs, qui dixerunt,
Angelos esse incorporeos, sic explicat prædictum
locum *Chrysost. homil. 22. super Genes. Athanas. in qq.*

Chrysost.
Athanas.
Theodor.
Cyrillus.
Philaster.

ad Antiochum. q. 19. Theodor. in Genes. quæst. 47. Cyrill.
lib. 9. contra Iulianum, parum ab initio. & 3. lib. in Genes.
in princip. Philaster in suo Catalogo hæresum, cap. 108.
vbi inter hæreses refert sententiam, quæ dicit, gi-
gantes ab Angelis genitos. Testatur etiam Eu-
thyim. in *panoplia, tit. 13. hæresi 9.* fuisse hæresim Bo-
gomoliorum asserentium, daemones accepisse si-
bi uxores, quia audierunt dictum Lucifero, sedes
celi ex hominum genere esse complendas. Nec

Ambros.

ab hac nostra expositione abhorret *Ambros. 4. cap.*
de Noë, tamquam si dixerit, Angelos ex mulieribus ge-
nuisse gigantes. Subdit enim hæc verba: Plerum-
que filios Dei vocat Scriptura Angelos, quia ex nullo ho-
mine generantur anime: itaque viros fideles filios suos dicit
non esse aspernatus Deus. Hæc interpretatio non so-
lum facilis est, si textum Hebræicum & vulgatum,
imo & LXX. qui communiter circumfertur, se-
quatur, in quibus dicitur, *Filij Dei, &c. Non Angeli*

15.

Dei, verum etiam si legamus Angeli Dei, sicut habet
antiqua lectio LXX. probat enim August. cap. il-
lo 23. viros sanctos in Scriptura Angelos appella-
ri, ex Matth. 11. vbi iuxta Prophetiam Malach. 3.
Ioan. Angelus appellatur, & Deuter. 32. in Cantico,
secundum translationem LXX. dicitur: Constit-
uit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei:
vulgata vero editio habet, iuxta numerum filiorum
Israel, qui filij Dei dicebantur. Quam lectionem
sequuntur Ambros. Angelos Dei, seu filios Dei,
quod idē esse putat, viros fideles inquit appellari.

Alia au-
tem ex-
positio eius-
dem loci.

Deinde possemus alio modo prædictū locum
interpretari, ut filij Dei dicantur filij potentum:
filia autem hominum, filia plebeiiorum, & sit
sensus, Nobiles & potentes accepisse sibi uxores
de media plebe & ex illis gigantes genuisse. Con-
sonat autem textui Hebræico. Nam filij Dei di-
cuntur **בְּנֵי הָאֱלֹהִים Bene haeloim**, **אֱלֹהִים**
Elohim autem & in singulari, & in plurali veri po-
test. Quare dicere possemus, *Filij Dei, & Filij Deo-*
rum, si ut transfert Aquila, teste August. loco citato,
& Hierony. 3. tom. in qq. Hebræicis: Dij autem plurali-
ter, iuxta phrasim Hebræicam, dicuntur nobiles,
potentes, seu indices in populo. Ego dixi, Dij estis,
& filij excelsi omnes. Et iterum: Deus stetit in synagoga
Deorum. Idcirco Symmach. ut refert Hierony. ver-

Phil. 81.

terum, Idcirco Symmach. ut refert Hierony. ver-

tit, *filij potentum.* Quinimo hæc expositio locum
habet, etiam si iuxta lectionem illam LXX. leg-
mus *Angeli Dei.* Nam etiam in Scriptura potentes
vocantur Angeli, *Timebunt Angeli, & geniti paue-*
buntur. Loquitur de potentibus, & robustis ho-
minibus, qui etiam coram animali Leuiticum ita
timebunt, ut excreent stercore, sicut infra dicitur.
225. cap. 5. explicabitur. Constat ergo, nullo modo
gigantes ab Angelis genitos fuisse. Quod si que-
ras, quæ ergo ratione gigantes primum ab homi-
nibus cōmunis stiracis poruerint generari? Re-
pondet optime *August. cap. illo 13.* hoc mirum non
esse, quia paucis annis ante excidium Ramamm
factum à Gothis, Romæ nata fuit femina gigan-
tea ex parte, & matre communis stiracis. Quare
non fuit necesse, gigantes primum ab Angelis
generari. An vero in assumpto corpore Angelus
possit cum muliere coire, & generare, videbimus
quæst. seq. art. 3.

Ad rationem Bernardi respondeo, etiam si An-
geli sint spirituales, loco tamen & spatio corpo-
reo moueri posse: sicut anima rationalis, cum sit
spiritualis, in corpore tamen tota existit. Quomo-
do autem Angeli in loco sint & moueantur, infra
explicandum est.

ARTICVLVS II.

Utrum Angelus sit compositus ex materia & forma.

AD secundum sic proceditur. Vi-
detur, quod Angelus sit compo-
situs ex materia & forma. Omne enim
enim, quod continetur sub alio
quo genere, est compositum ex genere & materia.
differentia, quæ adueniens generi, con-
stituit speciem. Sed genus sumitur ex ma-
teria, differentia vero ex forma, ut patet
in 8. Metaphys. Ergo omne quod est in
genere, est compositum ex materia & forma.
Sed Angelus est in genere sub-
stantiæ. Ergo est compositus ex materia
& forma.

2. Præterea. In quocunque inueni-
tur proprietates materiæ, ibi inuenitur
materia. Proprietates autem materiæ
sunt recipere & subistere. Vnde dicit Boe-
thius lib. de Trinit. quod forma simplex
subiectum esse non potest. Hoc autem in-
uenitur in Angelo. Ergo Angelus est co-
positus ex materia & forma.

3. Præterea. Forma est actus. Quod ergo
est forma tantum, est actus purus. Sed
Angelus non est actus purus. Hoc enim
solum Dei est. Ergo non est forma tantum,
sed habet formam in materia.

4. Præterea. Forma proprie limitatur,
& finitur per materiā. Forma ergo, quæ
non est in materia, est forma infinita. Sed
forma Angeli non est infinita, quia omnis
creatura finita est. Ergo forma Angeli est
in materia.

Sed contra est, quod Dionysius dicit 4.
cap. de diuinis nomin. quod prima crea-
tura, sicut incorporeales, ita & immate-
riales intelligunt.

Respondet

Respondeo dicendum, quod quidam ponunt Angelos esse compositos ex materia & forma, & hanc opinionem adstruere nititur Auicebron, in libro fontis vitæ. Supponit enim quod quæcunque distinguuntur secundum intellectum, sunt etiam in rebus distincta. In substantia autem incorporea intellectus apprehendat aliquid per quod distinguitur à substantia corporea, & aliquid per quod cum ea conuenit. Vnde ex hoc vult concludere, quod illud per quod differt substantia incorporea à corporea, sit ei quasi forma: & illud quod subiicitur huic formæ distinguenti, quasi commune, sit materia eius. Et propter hoc ponit, quod eadem est materia vniuersalis spiritualium & corporalium: ut intelligatur, quod forma incorporeæ substantiæ, sic sit impressa in materia spiritualium, sicut forma quantitatis est impressa in materia corporalium. Sed primo aspectu apparet esse impossibile, vnam esse materiam spiritualium, & corporalium. Non enim est possibile quod forma spiritualis, & corporalis recipiatur in vna parte materiæ, quia sic vna, & eadem res numero esset corporalis & spiritualis. Vnde relinquitur, quod alia pars materiæ sit, quæ recipit formam corporalem, & alia, quæ recipit formam spirituales. Materiam autem diuidi in partes non conuenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate: qua remota remanet substantia indiuisibilis, ut dicitur in 1. Physic. Sic igitur relinquitur, quod materia spiritualium sit substantia subiecta quantitati, quod est impossibile. Impossibile est ergo, quod vna sit materia corporalium & spiritualium. Sed adhuc ulterius impossibile est, quod substantia intellectualis habeat qualemque materiam. Operatio enim cuiuslibet rei est secundum modum substantiæ eius. Intelligere autem est operatio penitus immaterialis. Quod ex eius obiecto apparet, à quo actus quilibet recipit speciem & rationem. Sic enim vnumquodque intelligitur in quantum à materia abstrahitur, quia formæ in materia sunt individuales formæ, quas intellectus non apprehendit secundum quod huiusmodi. Vnde relinquitur, quod substantia intellectus est omnino immaterialis. Non est autem necessarium quod ea, quæ distinguuntur secundum intellectum, sint distincta in rebus, quia intellectus non apprehendit res secundum modum rerum, sed secundum modum suum. Vnde res materiales, quæ sunt infra intellectum nostrum simpliciori modo sunt in intellectu nostro quam sunt in seipsis. Substantiæ autem angelicæ

Vnde quæ in 1. p. To. 2.

sunt supra intellectum nostrum. Vnde intellectus noster non potest attingere ad apprehendendum eas, secundum quod sunt in seipsis, sed per modum suum, secundum quod apprehendit res compositas. Et sic etiam apprehendit Deum, ut supra dictum est.

Quæst. 3.
Art. 3. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod differentia est, quæ constituit speciem. Vnumquodque autem constituitur in specie, secundum quod determinatur ad aliquem specialem gradum in entibus: quia species rerum sunt sicut numeri, qui differunt per additionem, & subtractionem unitatis, ut dicitur in 8. Metaphys. In rebus autem materialibus aliud est, quod determinat ad specialem gradum, scilicet, forma, & aliud quod determinatur, scilicet, materia. Vnde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non est aliud determinans & determinatum, sed vna quæque earum secundum se ipsam tenet determinatum gradum in entibus. Et ideo genus, & differentia in eis non accipitur secundum aliud & aliud, sed secundum vnum & idem, quæ tamen differunt secundum considerationem nostram. In quantum enim intellectus noster considerat illam rem, ut indeterminatam, accipitur in eis ratio generis: in quantum vero considerat ut determinatam, accipitur ratio differentia.

8. Metaph.
text. 10. 10. 3.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa ponitur in libro fontis vitæ. Et esset necessaria, si idem esset modus, quo recipit intellectus, & quo recipit materia. Sed hoc patet esse falsum. Materia enim recipit formam, ut secundum ipsam constituitur in esse alicuius speciei vel æris, vel ignis, vel cuiuscunque alterius. Sic autem intellectus non recipit formam: alioquin verificatur opinio Empedoc. qui posuit quod terra, terra cognoscimus, & igne igne. Sed forma intelligibilis est in intellectu, secundum ipsam rationem formæ: sic enim cognoscitur ab intellectu. Vnde talis receptio non est receptio materiæ, sed est receptio substantiæ immaterialis.

Lib. 1. de a.
prima. apud
Arist. text.
25. tom. 2.

Ad tertium dicendum, quod licet in Angelo non sit compositio formæ & materiæ, est tamen in eo actus & potentia. Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium. In quibus inuenitur duplex compositio. Prima quidem compositio formæ & materiæ, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita non est suum esse, sed esse est actus eius. Vnde ipsa natura comparatur ad suum esse sicut potentia

M m 4 tia

tria ad actum. Subtracta ergo materia, & posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, ut potentia ad actum. Et talis compositio intelligenda est in Angelis. Et hoc est quod à quibusdam dicitur, quod Angelus est compositus ex quo est, & quod est, vel ex esse, & quod est, ut Boeth. dicit. Nam quod est, est ipsa forma subsistens. Ipsum autem esse, ex quo subsistens est: sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud esse, & quod est: ut supra ostensum est. Unde solus Deus est actus purus.

Ad quartum dicendum, quod omnis creatura est finita simpliciter in quantum esse eius non est absolute subsistens, sed limitatur ad naturam aliquam cui aduenit. Sed nihil prohibet aliquam creaturam esse secundum quid infinitam. Creaturæ autem materiales habent infinitatem ex parte materiæ: sed finitatem ex parte formæ, quæ limitatur per materiam in qua recipitur. Substantiæ autem immateriales creatæ, sunt finitæ secundum quod eorum formæ non sunt receptæ in alio. sicut si diceremus, albedinem separatam existentem esse infinitam quantum ad rationem albedinis: quia non contrahitur ad aliquod subiectum. Esse tamen eius esset finitum, quia determinatur ad aliquam naturam specialem. Et propter hoc dicitur in libro de causis, quod intelligentia est finita superius, in quantum, scilicet, recipit esse à suo superiori: sed est infinita inferius, in quantum non recipitur in aliqua materia.

Observationes circa doctrinam articuli.

27. **C**ONCLUSIO articuli est, Angelus ex nulla materia & forma componitur.

Videbitur alicui superuacaneus articulus: cum enim superiori ostensum sit, Angelum non esse corporeum, quia ratione dubitari posset, an ex materia, & forma constaret: Antiqui tamen Scholastici aliquam occasionem huius disputationis S. Th. derunt. Nam *Alexan.* 1. p. q. 20. memb. 2. §. 1. & *Bonavent.* in 2. d. 3. 1. p. art. 1. q. 2. quos sequitur *Ricard. art. 1. q. 2.* dixerunt. Angelum quidem non esse corporeum, constitui tamen ex materia quadam, & forma, hoc est, ex potentia, quam vocant materiam, & actu quem formam appellant, inter se tamen non consentiunt, an illa materia sit vniuocæ materia cum corporea, & visibili. Sed multo melius, S. Th. eiusque discipuli, & *Henricus quodli. 4. q. 16.* docent, Angelum non componi ex materia, & forma; quamvis actu, & potentia constet. Quia nec omnis potentia est materia, nec omnis actus est forma materiæ. Alia ratione putat *Caetan.* S. Th. præsentem art. instituisse, nempe ut ostenderet, Angelum non posse diuidi, non solum extensione & quantitate, ut 1. art. ostensum est, sed etiam secundum substantiam, quod compo-

*Alexan.
Bonavent.
Ricard.*

*S. Thom.
Henricus.*

Caetan.

sitione substantiali ex materia & forma non constet. Ceterum nisi Scholastici prædicti occasionem præbuisent, opus non erat alia ratione demonstrare, Angelum non constare materia & forma, nisi quia in corporeus est. Quare superius esset præsens articulus. Materia enim nullus habens videtur concessisse, nisi corpoream. Quamobrem *Dionys. 1. cap. de celesti hierar. post medium*, & alii Patres superiori disput. allegati, sicut docent, Angelos esse in corporeos, allerunt etiam carere materia, sequenti doctrinam Arist. qui eos appellauit intelligentias à materia separatas: imo nisi in rebus materialibus videremus fieri transformationes aliquo corporeo manente, nullus suspicari posset, in ipsis esse materiam distinctam à forma. Qui de causa *Henricus quodli. 4. q. 16.* & *Durand. in 2. d. 13. q. 1. num. 6.* putat celum non contineri materia & forma, & tamen corporeum sit: quia non vidimus aliquam substantialem in eo mutationem fieri corporeo aliquo communi manente: cuius oppositum non video facile posse probari.

DISPUTATIO CLXXIX.

Vnde fumantur in Angelis genus & differentia.

Opinio Durandi. cap. 1.

Quid sentiant Henricus, & alij Scholastici. cap. 1.

Vera sententia. cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Durandi.

CIRCA solutionem primi videndum est, quo pacto in Angelis genus, & differentia fumantur, cum in eis non sit materia, & forma, ex quibus genus, & differentia fumantur, iuxta communem sententiam Dialcticorum. Sermo autem est de genere & differentia, ut bene notauit *Ferrariensis 2. contra gentes. cap. 37. 2. 1. 1.* pro relationibus, quas Logici intentiones vocant, sed & conceptibus rerum vniuersalibus, qui denominationem recipiunt generis, & differentie. *Durand. in 2. d. 3. q. 1. num. 12.* docet, Angelos esse in genere: non tamen componi ex genere, & differentia: quia ut aliquid sub genere constituitur, sufficit habere esse finitum: ac proinde quia Deus infinitus est, sub genere non constituitur. Ut autem res aliqua constet ex genere, & differentia, debet esse compositio aliqua ex partibus facientibus unam essentiam. Quare cum nec in Angelis, nec in formis accidentariis sit compositio, non est genus, & differentia. Probat autem, in his non esse genus, & differentiam, & differentiam, quia distinguuntur. Primo quia differentia significat qualitatem rei: ob id enim dicitur à Porphyrio prædictum in quale: sed in Angelis, & formis accidentariis non est, quod significet quale rei: quia quidquid in eis reperitur, est tota ipsa natura, & forma rei: in eis nihil reperitur, quod habeat rationem differentie. Secundo, in naturis simplicibus non est differentia: quare aliquid sit genus, aliquid vero differentia: quia quidquid illis conuenit, est tota substantia & natura ipsarum: ergo frustra in eis hæc duo distinguemus. Tercio, simplicia seipsa totis differunt, quod simplicia sunt, nec habent in quo cum alijs conueniant, & in quo differant: si enim hæc haberent simplicia non essent differentie rei est id, in quo unam cum alijs conueniunt.